Kaczorowii Francisci: Quaestio animastica de speciei intelligibili impressa.

In Nomine Domini Amen.

QVÆSTIO ANIMASTICA

DE

Specie Intelligibili Impressa;

Sub Felicissimis Auspicijs

MAGNIF: PERILLVSTR: ET ADMODVM REVERENDI DOMINI

D. ALBERTI ŁANCVCKI,

I. V. Doctoris & Professoris Ecclesiæ Cathedralis Cracouien: Canonici Electi, Collegiatarum Pilecensis Archidiac: SS. Omnium Cancellarij, S. Michaelis in Arce Crac: Canonici, S. R. M. SECRETARII.

VNIVERSITATIS CRACOVIENSIS

GENERALIS ET VIGILANTISSIMI

RECTORIS

A

M. FRANCISCO KACZOROWIC

Philosophiæ Doctore, Dial: Profess: Contub: Hierosl: Seniore.

Publicè ad disputandum

IN PERAVGVSTO D.D. THEOLOGORVM LECTORIO

PROPOSITA.

Anno Domini 1674. *Die* 9. *Aprilis, Horâ* 13.

CRACOVIÆ, Ex Officina SCHEDELIANA, S. R. M. Typogr:

QVÆSTIO

V. Species Intelligibiles Impreſſæ rerum materialium Obiectis ſuis quoad naturam in eſſe repræſentatiuo idētificatæ, atq; potentiæ Intellectiuæ ad exercendum actum ſecundum indiſſolubilitèr vnitæ; Singularia materialia directè & formalitèr repræſentent nec ne?

CONCLVSIO I.

SPecies Intelligibiles ſunt eiuſdem naturæ & rationis cum ſuis Obiectis primarijs in eſſe intentionali & repræſentatiuo.

COROLLARIA

1. *Cauſantur non ab Ideis rerum materialium per ſe ſubſiſtentibus vt voluit Plato; aut ab Intelligentijs vt Auicenna; ſed ab intellectu Agente per eleuationem & aſumptionem phantaſmatum.*
2. *Intellectus Agens eſt cauſa illarum principalis; phantaſma inſtrumentalis.*
3. *Siuè verò ſint imagines & ſimilitudines formales obiecti, ſiue ſolùm virtuales, vtrumq; ſecundùm diuerſas conſiderationes rectè poteſt ſuſtineri.*
4. *Vndè ſunt tanquam rationes & principia Quo intelligendi. Et tàm in eſſendo quàm repræſentando ſunt indiuiſibiles.*
5. *Eget autem illis Intellectus ad eliciendas ſuas intellectiones, non ſecùs ac ſenſus externi & interni ſenſibilibus ad ſuas ſenſationes.*

CONCLVSIO II.

POtentia cognoſcitiua per identitatem in eſſe repræſentatiuo & intelligibili fit & conſtituitur ipſa ſpecies formalitèr ſumpta; immò & Obiectum per illam repræſentatum.

COROL-

C O R O L L A R I A.

1. *Non sit verò talis simpliciter & absolutè, aut in esse entitatiuo & naturali.*

2. *Nec si præcisè & formalissimè Species consideretur per inhærentiam eius, aut informationem: quia id est per Accidens.*

3. *Sed est talis per identitatem secundùm quid, seu in esse intelligibili.*

4. *Quæ identitas est minima & infima; maior tamen vnione formæ cum materia, & accidentis cum subiecto.*

5. *Ex quo tamen non sequitur quòd prædicata essentialia Speciei etiam formalissimè sumptæ, fiant prædicata essentialia potentiæ cognoscitiuæ.*

CONCLVSIO III.

Species Intelligibiles impressæ non solùm vniunt Obiectum potentiæ intentionaliter; sed etiam ad eliciendam ipsam eius cognitionem actiuè concurrunt.

C O R O L L A R I A.

1. *Respectu tamen potentiæ quam actuant nullam habent efficientiam, sicut nec circa obiectum quod repræsentant.*

2. *Cooperantur non vt causæ partiales, sed vt totales determinando potentiam cuius sunt complementum.*

3. *Ex quibus & potentia licet in esse entis fiant duo actiua principia, in ratione tamen causandi vnum efficitur, sola quasi rationis differentiâ importatâ*

4. *Nec sunt principium concursûs vitalis radicale & principale qui ad cognitionem vt vitalem requiritur; sed determinatiuum & specificatiuum.*

5. *Vnde falsò nonnulli docent solùm illas concurrere ex parte efficientis principij vt conditionem & dispositionem requisitam ad cognitionem: vel esse illas totam rationem agendi in ipsam, potentiâ cognoscitiuâ merè passiuè se habente.*

CONCLVSIO IV.

Species Intelligibiles impressæ non sunt formalitèr & directè singularium materialium repræsentatiuæ; sed solùm virtualiter & indirectè.

C O R O L L A R I A.

1. *Quod intelligendum est de illis quæ fiunt per abstractionem intellectûs Agentis immediatè, quæ solam naturam & quidditatem materialem in vniuersali directè repræsentant: non verò de illis quæ sunt ex præcedenti intellectione relictæ.*

2. *Inter quidditates materiales tantùm illæ possunt repræsentari quæ*

sunt finitæ & præsentes: futura verò vt sunt in seipsis nec directè nec indirectè poßunt repræsentari; nisi secundùm esse quod habent in suis causis naturalibus.

3. *Spiritualia repræsentantur per species rerum materialium; sicut & Entia Rationis connotatiuè ad Ens Reale.*

4. *Hoc tamen sumendum est pro hoc statu: nam animæ separatæ infunduntur à Deo Species quæ repræsentant directè tam spiritualia quàm materialia singularia modo proprio statui substantiarum separatarum.*

5. *Nec tamen potest intellectus simùl actu informari pluribus Speciebus quæ repræsentant plura vt plura adæquatè & ex æquo. Nec potest pro hoc statu actu intelligere per Species quas penes se habet non conuertendo se ad phantasmata.*

Ad Maiorem Dei Gloriam & Beatæ Mariæ Virginis Honorem.

PERMISSV MAGNIFICI DOMINI RECTORIS.

